Carm. discalc. Conv. Crac. S. Michaeli et Joseph Phil. stud: Aristotelis Logica juxta mentem D. Thomae, angelici Doctoris —

ARISTOTELIS LOGICA

Iuxta mentem D. THOMÆ, Angelici Doctoris,
In ſua Principia ſcientificè reſoluta,

ET


A FF. CARMELITIS DISCALCEATIS
In Conuentu Cracouienſi SS. Michaëlis & Ioſeph
Philoſophiæ Studioſis

Publicæ eruditorum cenſuræ
EXPOSITA.

Anno à Partu Virginis 1650.
Menſe Octob Die 9 hora 2 post merid

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ S. R. M. Typog.

In Clauem ILLVSTRISSIMÆ Domus MICHALOVIANÆ, in aureo fulgentem campo.



Clauis inaurato quid in agro ſurgat? Egenis
Aurum dum reſerat, pandit & aſtra ſibi.

Aliud

DIS & VIS, contra cælos mouere procellas.
DIS auro, ferro VIS animoſa ruens.
Viderat Ars; vtrumq; regens iubet aſtra ſubire,
CLAVEM: dum Chriſti hæc DITE colorat humum.

Perillustri & Magnifico Domino,

D. IACOBO A MICHALOW MICHALOWSKI,

Tribuno Lublineń. S. R. M. Cubiculario Aulico,

DOMINO ET MÆCENATI SVO

FF. Carmelitæ Discalceati,

In Conuentu Cracouiensi Philosophiæ Studiosi

Felicitatem.

CVM duos per Autumnos, in solitario rupis Carmeliticæ lycæo, conclusa latitaret Pallas, tandem benignâ, spectatæ sapientiæ tuæ claue reserata, in publicum Scientiæ Rationalis certamen, Logico præcincta sago procedit: Perillustris & Magnifice DOMINE. *Prolixiùs solitudini, Olympicis platanis, cedrisq; sydereis coronatæ dicata, latitasset Virgo, nisi illam, iam abundè à Gradiuo militiæ artifice, disciplinâ militari, arteq; bellandi imbutam, apprimèq; absolutam conspexisses: & conclusum regularis abstractionis secretarium, Tuâ benignitate patrocinante reserando licentiatam, ad scientificam Logices arenam euocasses.*

Non enim passim didicit solitaria Pallas nostra, in publicum prodire, sed in frondentibus Carmeli vmbris latêre, in contemplatiua, tum propria, tum Diuinæ cognitionis palæstra, assiduè decertare, victorias parere, ac triumphare. Cùm verò aureum Sanguinis Tui Heroici Stephanoma, Clauibus [quæ ad dignitates Tribunitias, & ad præcelsa honorum fastigia, si bellacibus Marcellis & Alexandris credimus, Tibi Ma-

gnanimo aperiunt] condecoratum, Sarmatico præfulgeat Polo: & militarem Virginem nostram, clarissimo Generis Tui fulgore, in opacis subtilitatis Aristotelicæ anfractibus commorantem collustrasti, & in scientificum Logicæ certamen, quodãmodo prodire compulisti. Nec tamen prius Bellona nostra, Logicũ argutæ disputationis classicum intonabit, nisi Tuâ Virtute Mauortia [quâ semper: & in solo Zborouiano, Regiæ Vexillifer cohortis, laudatissimo Inuicti & Serenissimi Regis nostri testimonio, enituisti] armetur, roboretur. Ego Perillustris DOMINE, *&* MÆCENAS *Munificentissime Palladi Nostræ, Virtuti Tuæ bellicæ, submissæ atq́ dicatæ, ianuam ad Olympionicen Logicam, Clauibus Tuis Tribunitijs [eo, quo semper in Tuos ferebaris, immutato pijssimæ benignitatis affectu] aperire non moreris, quatenùs & exorsum faustè perficiat certamen, & deinceps aperto aditu, ad vlteriores & Philosophiæ, & Theologiæ arenas, inuicta progrediatur. Nec dedigneris Perillustris & Magnifice* DOMINE, *quòd Tuam honorificam Clauem, claui, ianuæq́ Scientiarum Logicæ, [his illam docti dignantur nominibus] coniungamus: affines enim sibi sunt: & quemadmodum Tua Clauis, Scyllæos difficultatum passus, per inuictos & plusquàm Curtianos, domi forisq́, & in toga, & in sago conatus, ad probatæ sapientiæ decus, ad spectatæ virtutis dignitatem, ad nominum ac titulorum splendorem, ad victoriarum gloriam, & triumphorum maiestatem aperit. Sic & Logica, Lybicas intellectûs difficultates patefacit, armamentarium Philosophicum, vnde in hostes, veritatis inuicta vibrantur tela, reserat; deniq́ victoriosos subtilitatis clypeos, triumphalia solutionis arma, ad retundendos fulgurantes in acie argumentorum gladios, ad propellendos fulminantes telorum Syllogisticorum nimbos, ad reciprocantes dubiæ demonstrationis procellas, & remouendas & mitigandas subministrat.*

CONCLV.

CONCLVSIONES LOGICÆ,

In ſua principia ſcientificè reſolutæ.

RESOLVTIO PROEMIALIS.

QVia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere: ideò Rationalis Philoſophiæ Theoremata, vt ad ſcientiæ amuſſim lucem aſpiciant, in ſua principia reſoluta procedunt: ad quodlibet curioſum QVARE, ſuo præmunitæ QVIA. Sit ergo pro quæſtionibus Pròémialibus principium, ipſum Logicæ Obiectum: quod ſicut eſt ſpecificatiuum ſcientiæ, ita & ratio omnium tractandorum in ſcientia.

Eſt autem obiectum formale & adæquatum Logicæ Ens rationis, modi ſciendi limitibus clauſum. Cùm enim Logica tractet de omnibus rebus, quas denarius Prædicamentorum circumſcribit numerus, & non tractet per prædicata realia, quia hoc eſt proprium Metaphyſicæ, tractabit per prædicata rationis, Ergo hæc eius obiectum formale conſtituunt.

Infertur hinc Logicam eſſe ſcientiam, quia eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus: habet enim Ens rationis paſſiones, quæ de illo demonſtrari poſſunt. Eſſeque ſcientiam ſpeculatiuam, quia non habet obiectum operabile extrà intellectum, quod ad veram rationem practici deſiderabatur, cùm Praxis ſit actus alterius potentiæ ab intellectu. Eſſe deniq; ad ſcientias ſub ſtatu perfecto comparandas ſimpliciter neceſſariam: quia ſine notitia modi ſciendi, de quo vt de obiecto tractat Logica, impoſſibile eſt perfectè, & roſolutiuè vſque ad principia, alicuius ſcientiæ comprehendere Concluſiones.

Ne autem in cognitione obiecti Logicæ ceſpites, ſcito, Ens rationis eſſe illud, cuius totum eſſe eſt obijci intellectui. Ex quo principio ſequentes Concluſiones de Ente rationis deducuntur.

Infertur 1mo. Dari Ens rationis. Probatur. Datur aliquod Ens quòd non habet eſſe niſi obiectiuè in intellectu. Hoc eſt Ens rationis. Ergo datur Ens rationis. Minor patet ex definitione ſuprà poſita. & probatur Maior. Priuatio vel Negatio cognita, eſt aliquod Ens (Quia non eſſet cognoſcibilis ſi non eſſet Ens; Cùm obiectum adæquatum intelle-

ctus, extrà quod ferri nequit ſit Ens) Sed hoc Ens non habet eſſe niſi obiectiuè in intellectu: quia à parte rei, priuationes, & negationes ſunt nihil. Ergo. &c.

Infertur 2do. Ens rationis non habere cauſam efficientem propriè dictam. Nam eſſe tantum obiectiuè in intellectu non eſt eſſe verum reale & proprium, vnde etiam non requirit fieri per actionem ſiue emanationem veram realem & propriam, per conſequens nec à cauſa quæ ſit ſimpliciter & propriè talis. Vnde intellectus non facit Ens rationis per veram efficientiam. Licet enim intellectus verè efficiat dum facit effectum, non efficit tamen dum facit obiectum: quia vt ſic non terminatur ad communicandum verum eſſe reale, ſed vel ad denominandas res extrinſecè cognitas, vel ad tribuendum illis aliquod eſſe fictum ipſas ad modum formæ intrinſecæ denominans.

Infertur 3tio. Ens rationis antequàm cognoſcatur non eſſe cognoſcibile. Cum enim eius eſſentia conſiſtat in obijci intellectui, de eius ratione erit actu cognoſci, ac per conſequens nunquàm erit cognoſcibile in actu primo. Quia quoties actus ſecundus eſt de eſſentia alicuius, ſemper illi potentia ad talem actum repugnat: vt patet in Deo, de cuius eſſentia eſt actu exiſtere, & ideò non poteſt eſſe in potentia ad exiſtentiam.

Infertur 4to. Non eſſe inconueniens in Entibus rationis admittere genera ſine ſpeciebus, vel eſſentiam ſine paſſionibus. Cum enim eſſentia Entis rationis conſiſtat in cognoſci, ſeu obijci intellectui, ſicut non repugnat in realibus hæc ſeparatim cognoſci, ita & Entibus rationis hæc ſeperatim eſſe.

Infertur 5to. Eſſentiam Entis rationis non conſiſtere in aliqua denominatione extrinſeca etiam, ab intellectu proueniente. Cum enim eſſentia Entis rationis ſit eſſe tantũ obiectiuè in intellectu; quidquid rebus à parte rei conuenit, in eo eſſentia Entis rationis conſiſtere nequit: Sed omnis denominatio extrinſeca conuenit rebus à parte rei: A parte enim rei, ſicut paries dicitur realiter viſus, ita & res cognita dicitur realiter cognita, etiamſi cognoſcatur aliter ac eſt in ſe: quia eſſe parietem viſum, vel rem cognitam aliter ac eſt in ſe, nihil aliud eſt, quàm ad parietem terminari viſionem, & intellectionem ad rem cognitam aliter ac eſt in ſe: quod totum eſt à parte rei. Ergo &c. Si tamen intellectus apprehendat vel eſſe viſum in pariete, vel eſſe cognitum in re cognita ad modum formæ alicuius exiſtentis in ipſis, tunc eſſe viſum, & eſſe cognitum, non quatenùs denominationes præciſè, ſed quatenùs ſic apprehenſæ, erunt Entia rationis: quia illud eſſe non habebunt niſi obiectiuè

in intel-

in intellectu. Vnde denominatio extrinseca tantùm erit fundamental-iter, non verò formaliter Ens rationis. Et quamuis esse cognitum non sit extra intellectum, quia repugnat esse aliquid cognitum & non in intellectu: Est tamen potiùs subiectiuè quàm obiectiuè in intellectu, quia si formaliter loquamur, nihil aliud est, quàm ipse actus intellectus terminatus ad rem quam cognoscit.

Infertur 6to. Quòd ipsum pati, seu obijci intellectui, non sit Ens rationis formaliter: quia hoc obijci verè datur à parte rei, etiam dum cognoscitur aliter ac est in se; sed tantùm causaliter, in quantum hoc obijci est causa seu occasio, vt resultet in rebus quoddam esse fictum, quod habet simul rationem obiecti & termini.

Infertur 7mo. Solum intellectum posse efficere Ens rationis. Probatur. Essentia Entis rationis consistit in obijci intellectui. Ergo per eundem actum efficitur, per quem cognoscitur. Ergo ille actus debet esse potentiæ reflexiuæ, quia potentia, quæ potest versari circa suum effectum, tanquàm circa obiectum, est potentia reflexiua. Ergo non potest fieri à sensibus, siue internis, siue externis, & ab alijs similibus potentijs organo corporeo affixis; quia hæ non sunt reflexiuæ: non enim possunt redire supra se, vel supra suum actum, vel effectum: Cùm enim materiales sint, limitatæ sunt, limitatumq; obiectum habent, sub quo nec ipsæ, nec effectus, actusque illarum continetur, ac proinde non poterunt reflectere se supra se. Voluntas autem licet sit potentia reflexiua sicut & intellectus, similem enim immaterialitatem, similemque obiecti latitudinem cum intellectu habet, tamen illi efficere Ens rationis repugnat. Probatur ex eodem principio. Quia si essentia Entis rationis consistit in cognosci, Ergo non poterit fieri à potentia non cognoscitiua. Sed voluntas est potentia non cognoscitiua. Ergo ab illa Ens rationis fieri nequit.

Infertnr 8uo. Nullum Ens rationis fieri per actum directum propriè talem, sed quemlibet actum formatiuum Entis rationis habere aliquem reflexionis modum. Probatur. Essentia Entis rationis consistit in obijci intellectui. Ergo antequàm obijciatur non est completè. Ergo non potest fieri nisi per actum cui competat facere, & cognoscere. Ergo per actum reflexum, seu per actum redeuntem ad id quod fecerat. Vndè quando fit Ens rationis fundatum in rebus [de quo solo poterat esse difficultas, nam fundatum in esse cognito, certum est fieri per actum reflexum] v. g. quando Priuatio . pprehenditur ad modum formæ realis, illa prima apprehensio non est Ens rationis, nisi fundamentaliter, & initiatiuè, Cùm si formaliter loquamur, non sit aliud quàm denominatio

extrinseca cognitæ rei aliter ac est in se. Tunc autem erit formaliter Ens rationis cùm intellectus redierit supra illud esse fictum apprehensum à se, cognoscendo illud.

Infertur 9no. Per quamlibet operationem intellectus posse fieri Ens rationis. Quælibet enim potest facere Ens, cuius totum esse est in obiici intellectui. Prima dum Priuationes & Negationes ad modum formarum realium apprehendit. Secunda dum relationes rationis Prædicati ad subiectum facit. Tertia dum format relationes rationis; Antecedentis vt actu inferentis Consequens, & Consequentis ex Antecedenti illati. Ergo formant omnes Entia rationis.

Infertur 10mo. Deum non facere Entia rationis formaliter, etiamsi cognoscat à nobis facta. Quia non potest illis communicare esse fictum, hoc enim sapit imperfectionem, quia requirit vt res cognoscatur aliter ac est in se, fingendo scilicet in illa aliquam entitatem, quam non habet.

Infertur 11mo. Intellectum Beati quâ talis non formare Entia rationis. Quia hoc modo cunsideratus intellectus elicit perfectissimas operationes. Ergo non poterit formare Ens rationis consistens in quodam esse ficto & imperfecto. Tamen intellectus Beati tam hominis, quàm Angeli, secundùm se consideratus, Entia rationis formare potest, quia illi sic sumpto, sicut error, ita imperfecta, debilisque cognitio non repugnat.

Infertur 12. Quod quando Deus cognoscit Negationes, & Priuationes, admodùm Entis non facit Ens rationis, quia non dicitur illas admodùm Entis, cognoscere, quasi illis entitatem fictam communicet, sed in quantum illas cognoscit per species formarum, quibus priuant.

13mo. Ens rationis habens fundamentum in rebus adæquatè diuidi in Carentiam [prout comprehendit Negationem & Priuationem propriè dictas] & Relationem: quia esse fictum, in quo ratio Entis rationis consistit, communicat, vel attribuendo illud non Enti, & sic erit Carentia, vel referendo Ens ad quod non est à parte rei relatum, & erit Relatio.

Resolutio Porphyrianæ introductionis.

VNiuersale quod hic Porphyrius explicuit, est natura vna relata positiuè ad plura, quæ definitio est principium, ad quod reducuntur cætera, quæ de vniuersalibus tractantur.

Infertur ergo 1. Quòd cùm dicitur vniuersale esse naturam vnam non intelligitur de vnitate numerica, quia hæc pugnat cum vniuersalitate: nec de aliqua vnitate rationis, quia natura vna posita in definitione est

ne est

ne eſt materia vniuerſalis; ac per conſequens, ſecundùm ea conſideratur quæ habet à parte rei, non autem ſecundùm ea quæ illi intellectus affingit: ſed intelligitur de vnitate formali, quam dari à parte rei euidens eſt. Quia Petrus v.g. à parte rei non tantùm eſt Ens indiuiſum materialiter, id eſt, in plura indiuidua, ſed etiam formaliter in plures formas. Ergo à parte rei non tantùm eſt vnus vnitate materiali, ſed etiam vnitate formali: cùm vnum, ſit Ens indiuiſum in ſe. Et quamuis Entitas, à qua ſumitur vnitas formalis, non ſit diſtincta in Petro, ab Entitate à qua ſumitur vnitas numerica, quia quæcunq; ſunt à parte rei, ſunt ſingularizata, hinc tamen nihil aliud ſequitur, quàm quòd vnitas formalis, non ſit realiter entitatiuè diſtincta ab vnitate numerica, quod libenter concedimus.

Infertur 2. Dari à parte rei naturas denominabiles à ſecunda intentione vniuerſalitatis. Quia dantur naturæ cum ſua vnitate formali, vt oſtenſum eſt: Et de iſtis naturis ſunt ſcientiæ reales, quæ non de ſingularibus, ſed de vniuerſalibus eſſe dicuntur. Quæ tamen naturæ, non ſunt à ſingularibus ſeparatæ, vt ſomniabat Plato, ſed in ipſis exiſtunt. Cùm enim de illis prædicentur, debent eſſe identificatæ cum ipſis: nam prædicatio ſupponit, & requirit aliquam identitatem.

Infertur 3. Vniuerſale pro formali à parte rei non dari. Quia à parte rei non datur natura poſitiuè relata ad plura, ſeu quod idem eſt, poſitiuè communis pluribus, alias illa natura non eſſet contrahibilis ad ſingularia, vtpotè habens communitatem poſitiuam ſecundùm ſe. Fit ergo natura formaliter vniuerſalis, per comparationem ſimplicem intellectus poſſibilis. Quia cùm natura vniuerſalis, ſit natura relata, fiet per actum relatiuum. Ergo per actum comparatiuum, quia comparare vnum ad aliud, eſt referre.

Infertur 4. Naturas quæ ſunt materia vniuerſales, ſecundùm ſe conſideratas æternas eſſe: & formaliter vt tales, à nulla cauſa efficienti dependere, ac proinde poſſe optimè, & Catholico ſenſu dici increatas: *Ly* increato purè negatiuè ſumpto. Hinc & propoſitiones de ipſis formatæ ſunt æternæ veritatis.

Infertur 5. Porphyrium adæquatè diſtinxiſſe vniuerſale vt ſic, in quinque vniuerſalia: nempè, Genus, Speciem, Differentiam, Pioprium, & Accidens: quia etiam modi naturæ quæ eſt ſubiectum vniuerſalitatis ſunt quinque: nempè. Natura perfectibilis quæ fundat genus, natura perfectiua, quæ fundat differentiam, natura perfecta, quæ fundat ſpeciem, natura fluens ab eſſentia, quæ fundat proprium, ac tandem natura extranea, quæ fundat accidens.

 Infer-

Infertur. 6. Prædicabilia optimè per propriã passionem à Porphyrio circumscriptiuè definita fuisse. Genus quidem, quod sit Id *quod prædicatur de pluribus differentibus specie in Quid.* Quia cum materia genereitatis sit natura perfectibilis, poterit contrahi ad plures species, de illisque prædicari, vt pars essentiæ determinabilis, ac per consequens in Quid. Differentiam verò, quod sit Id *quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid* Quia enim differentia qualificat speciem tanquàm pars essentialis ipsius, ideò prædicatur in Quale quid. Quæ tamen definitio non competit speciebus infimis, quæ sub se plura specie differẽtia, de quibus prædicentur, non habent. Species definitur, quod sit Id *quod prædicatur de pluribus differentibus numero in Quid.* Quia prædicatur vt tota essentia illorum de ipsis. Proprium. *Quod competit omni, soli, & semper.* Quia est natura fluens ab essentia. Ergo, vbi & quando essentia fuerit, & illud erit. Ergo competit omni & soli habenti naturam quamdiu illam habebit. Ergo semper. Accidens denique. *Quod sit, id quod potest abesse & adesse sine subiecti corruptione.*

Infertur 7. Quòd attentâ arte definiendi Accidentia, scilicet, vt cum definiuntur in concreto, natura ponatur pro genere, & gradus superior pro differentia. Quando verò definiuntur in abstracto, gradus superior generis, & natura debet obtinere locum differentiæ. Prædicabilium definitiones essentiales tam in abstracto, quàm in concreto sic formari possunt. In concreto quidem. *Genus est natura perfectibilis vniuersalis. Species est natura perfecta vniuersalis. Differentia est natura perfectiua vniuersalis. Proprium est natura profluens ab essentia vniuersalis. Accidens est natura extrinseca vniuersalis.* In abstracto autem. *Genereitas est vniuersalitas naturæ perfectibilis. Specieitas est vniuersalitas naturæ perfectæ. Differentialitas est vniuersalitas naturæ perfectiuæ. Proprieteitas est vniuersalitas naturæ profluentis ab essentia. Accidentalitas est vniuersalitas naturæ extrinsecæ.*

Resolutio libri Categoriarum.

DEcem sunt Prædicamenta, videlicet, Substantia, Qantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Situs, Vbi, Quando, & Habitus. Quæ cùm sint suprema genera, ac in nullo vniuocè conueniant ad vnum principium reuocari nequeunt: Vnde pro quolibet sua sunt assignanda principia, quæ erunt vniuscuiusque Prædicamenti essentia.

SVBSTANTIÆ ergo propria, & formalis ratio constitutiua non est negatio essendi in alio, nec hoc quod est substare accidentibus. Sed esse per se, intellectũ simpliciter seu secundùm aptitudinẽ. Ratio enim formalis rei est primo inuenta in re. Sed substare accidentibus, vel negatio es-

tio eſſendi in alio non eſt primum in ſubſtantia, cùm vtrumque ſupponat eſſe per ſe. Ergo non erunt eius rationes formales.

Infertur hinc 1. Omnes ſubſtantias Creatas & completas contineri in hoc prædicamento: quia omnes participant rationem formalem ipſius, nempe eſſe per ſe, ſecùs de Deo dicendum eſt: non quod ille non ſit per ſe, ſed quia eſt, illimitato & infinito modo, cùm ſit ipſum ſuum eſſe.

Infertur 2. Subſtantiam non eſſe in ſubiecto. Non ſuſcipere magis & minùs: Nihil habere contrarium: Eſſe tamen contrariorum ſuſceptiuam: hæc enim omnia illi competunt ex hoc quod per ſe ſit, vt conſideranti patebit.

QVANTITATIS eſſentia, conſiſtit in extenſione partium in ordine ad ſe: Quia hoc eſt primum in Quantitate: nam cætera omnia in illa inuenta, vt ratio menſuræ, diuiſibilitas proxima, extenſio partium in ordine ad locum, neceſſariò hanc rationem præſupponunt.

Hinc infertur 1. Subſtantiam corpoream, ſine Quantitate nullas habere partes: Quia repugnat eſſe effectum formalem ſine forma, cùm ergo Quantitas ſit forma quæ dat partes, vtpotè cuius eſſentia ſit extenſio partium in ordine ad ſe, inde eſt quòd ſine illa nullæ partes eſſe poſſunt.

Infertur 2. Lineam, Superficiem, Corpus, Tempus, Numerum Prædicamentalem, & Orationem, eſſe veras ſpecies Quantitatis: Quia omnes participant rationem formalem illius, nempè extenſionem partium: ſecùs de motu, qui eſt poſt prædicamentum, & de loco qui ad ſuperficiem reducitur, ſentiendum eſt.

RELATIONIS Prædicamentalis naturam optimè explicuit Philoſophus, cùm ait: Relatiua ſunt, quorum totum eſſe eſt ad aliud ſe habere.

Hinc infertur 1. Dari Relationes reales à parte rei: quia dantur entia, quorum totum eſſe eſt ad aliud, vt æqualitas inter Quantitates, ſimilitudo inter Qualitates, &c. Quæ nouum genus Entis realis diſtinctum ab illis conſtituunt; quia tribuunt Enti, nouum eſſendi modum, nempè eſſentialiter reſpicere aliud, quem alia Entis genera non habent.

Infertur 2. Relationes alias eſſe mutuas, alias non mutuas, & iterùm mutuas, alias æquiparantiæ, alias diſquiparantiæ: Cùm enim relationis eſſentia ſit ad aliud ſe habere, vel inueniet in illo alio quod reſpicit alium reſpectum, quo viciſſim reſpiciatur, & ſic erit mutua; ve non inueniet, & erit non mutua: Quòd ſi inuenerit reſpectum eiuſdem rationis, erit relatio æquiparantiæ, ſi autem inuenerit reſpectum diuerſæ rationis, erit relatio diſquiparantiæ.

Infertur

Infertur 3. Tria eſſe genera fundamentorum relationis, ſcilicet, Vnitatem, & Numerum, Actionem, & Paſſionem, Menſuram, & Menſurabile. Cùm enim relatio ſit eſſentialiter ordo, quòt modis contingit rem vnam ordinari ad aliam, tot erunt fundamenta relationis, ſed ordinatur tantùm tripliciter, vel ſecundùm eſſentiam, in quantum vnius eſſentia dependet ab alia, tanquam à menſura ſuæ perfectionis, & ſic erit fundamentum menſuræ, & rei menſurabilis: vel ordinabitur ſecundùm virtutem Actiuam, & Paſſiuam, & ſic erit fundamentum Actionis, & Paſſionis; vel ordinabitur ſecundùm quod quantitas vnius menſuratur cum altera, & ſic erit fundamentum vnitatis, & numeri. Alia autem ad hæc reuocantur, v. g. in qualitatibus: ſimilitudo, & diſſimilitudo: in vbi: præſentia, & abſentia: In ſitu, propinquitas, & diſtantia, reducuntur ad vnitatem, & numerum, & ſic de alijs.

Infertur 4. Omnem relationem prædicamentalem, diſtingui realiter à fundamento, diſtinctione reali, propriè dicta, prout opponitur modali. Quia relatio vt ſupra deduxi conſtituit ſpeciale prædicamentum, neque poteſt fundari ſupra relationem, ne detur proceſſus in infinitum: Ergo quælibet relatio diſtinguetur à ſuo fundamento, tanquam res diuerſi prædicamenti ab illo. Ergo diſtinguetur realiter; plus enim eſt differre prædicamento, quàm differre realiter, nam quæ differunt prædicamentis, in nullo conueniunt, cùm prædicamenta ſint primò diuerſa, quæ autem diſtinguuntur realiter, poſſunt in aliquo vniuocè conuenire.

Infertur 5. Omnem relationem prædicamentalem terminari ad aliquid relatiuum: Tum quia in Diuinis ita inuenitur: iam autem formalis conceptus relationis, idem eſt in Diuinis, & Creatis: immò etiam in relationibus realibus, & rationis, Tum etiam; quia terminus ad Quem dicitur eſſentialiter relatio, eſt aliquid relationis, cùm omnis terminus ſit aliquid eius cuius eſt terminus, ſed quod eſt aliquid relationis, debet eſſe relatiuum. Ergo &c.

Infertur 6. Specificationem relationis ſumi tam ex fundamento, quàm ex termino: cùm enim relatio ſit eſſentialiter ordo vnius ad aliud, habet ſuum eſſe & per conſequens ſpeciem, ab vtroque, à fundamento quidem efficienter, & initiatiuè, à termino verò completiuè, tanquam à conditione concomitante ipſam. Cùm verò vnitas bonum quoddam ſit, pluralitas autem malũ, bonũ autem ſit ex integra cauſa, malum verò ex quocunque defectu: ſequitur ad vnitatem ſpecificam relationis, requiri vnitatem tam fundamenti, quàm termini; ad diſtinctionem verò & pluralitatem, ſufficit plurificatio alterius illorum. Quod tamen intelligen-

telligen-

telligendum est de pluralitate completa, nam si fundamenta vel termini sint plura incomplete, non multiplicabitur relatio specie, vt patet in filiatione, quæ est vnica specie relatio, quamuis ei plures termini incompleti respondeant, nempè concursus actiuus patris, & passiuus matris. Distinctionem tamen numericam relatio sumit adæquatè ex fundamento: accidentia enim indiuiduantur à subiecto, sed relatio est accidens, Ergo indiuiduabitur à fundamento, quod ad illam comparatur vt subiectum ipsius.

Infertur 7. In relatione Prædicamentali, duos conceptus necessariò distinguendos esse, scilicet, Esse IN, & esse Ad. Quia enim relatio est accidens, necessariò dicit ordinem ad subiectum, ac perconsequens esse IN, seu Inhærere. Quia verò non ita dicit ordinem ad subiectum, vt sistat ibi, sicut cætera accidentia absoluta, sed trahendo subiectum ad terminum, vltra esse IN, commune accidentibus, dicit esse Ad proprium sibi. Quamuis nec ipsum Ad, sit liberum ab esse IN, sed omninò debet includere illud: Quia conceptus accidentis, per esse IN expressus, cùm transcendens sit respectu nouem generum, imbibaturque in vltimis eorum differentijs, vel qùasi differentijs, etiam in ipso esse Ad, quod in relatione munus differentiæ obit imbibitur. Vocaturque esse IN relatiuum, ad distinctionem alterius esse IN absoluti, quod relationi cum alijs accidentibus est commune.

Infertur 8. Ad relationem Prædicamentalem, quatuor conditiones requiri. Prima. Fundamentum reale: Quia relatio vtpote accidens reale, requirit subiectum reale. Secunda. Rationem fundandi realem; Cùm enim relatio sit ordo vnius ad aliud, nisi fundamento aliquid reale adderetur maneret sicut ante. Ergo sicut antea non erat quid relatiuum, ita & post. Tertia. Terminum realem, & realiter existentem. Quia relatio est ordo realis vnius ad aliud. Ergo nullo intellectu considerãte est vnũ & aliud. Sed quod nullo intellectu considerante est, reale est. Ergo in relatione, sicut fundamentũ, ita terminus debet esse realis Imo & realiter existens: daretur enim infinitum in actu, si respectu rei possibilis, posset esse relatio, idem enim, v. g. binarius, potest respicere infinitos numeros se superiores, cùm numerus sit in infinitũ multiplicabilis. Quarta. Requiritur ad relationem Prædicamentalem distinctio realis fundamenti & termini: quia relatio est ordo essentialiter. Eiusdem autem ad seipsum ordo esse non potest. Ergo &c.

QVALITAS est accidens dispositiuum substantiæ: cuius quatuor

 sunt

sunt species, Habitus, & dispositio, Naturalis potentia, & impotentia, Passio, & passibilis qualitas, forma, & figura.

De cæteris sex Prædicamentis aliud non occurrit notandum, præter quam, quod non sint puræ denominationes extrinsecæ: alias tolleretur denarius prædicamentorum numerus, nam distinctio penes intrinsecam denominationem eiusdem formæ, non potest causare genera primò diuersa. Neque sunt relationes secundùm esse, alias in prædicamento relationis reponi deberent: sed sunt tantùm relatiua secundùm dici, formæque intrinsecæ subiecto, ex aliquo tamen extrinseco relictæ.

Resolutio librorum Peryhermenias.

CVm propositio de qua principaliter Philosophus in his libris tractat, sit oratio enuntiatiua, necessariò ex terminis constare debet. Terminus autem est extremum propositionis, ac per consequens voces extra propositionem, rationem termini non participant, nisi aptitudinaliter. Diuiditurque Terminus diuisione generis in species, in Subiectum & Prædicatum, cuius sex sunt passiones; Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Diminutio, & Appellatio.

Ex hoc quod propositio sit oratio enuntiatiua, sequitur, diuisionem propositionis in Cathegoricam & Hypotheticam, esse analogi in analogata: cùm Hypothetica propriè non enuntiet: Cathegorica verò in affirmatiuam & negatiuam diuiditur, diuisione generis in species, cuius tres sunt proprietates: Oppositio, æquipollentia, & conuersio. Oppositio quæ est affirmatio & negatio eiusdem de eodem, est quadruplex: Contradictoria, contraria, subcontraria, subalterna. Porrò duæ contradictoriæ propositiones in nulla materia possunt esse simul veræ & falsæ: contrariæ tamen licet nunquam possunt simul esse veræ, possunt tamen esse simul falsæ in materia contingenti. E contrà subcontrariæ simul falsæ nunquam esse possunt, quamuis possint esse veræ in eadem materia, sed subalternæ vna alterius veritatem sequitur in materia naturali, in materia verò contingenti potest esse Vniuersalis falsa, & particularis vera, non tamen è contra.

Resolutio Librorum de Priori & posteriori Analysi.

ARgumentatio est oratio explicans illationem vnius ex alio. Nec sufficit ad argumentationem quod vnum ex alio possit inferri, sed quod hæc illatio actualiter explicetur.

Hinc sequitur I. duas tantum esse argumentationis species, Inductionem

ctionem & Syllogiſmum, quia hæ tantum diſtinctum modum illationis explicant. Aliæ verò duæ diſtinguuntur à præfatis, ſicut perfectum & imperfectum intra eandem ſpeciem. Omiſsâ autem inductione quæ vix apud Philoſophos eſt in vſu. Syllogiſmus eſt argumentatio in qua concluditur vnio extremitatum inter ſe, ex vi vnionis factæ cum medio in præmiſſis Qui cum ſit quoddam compoſitum rationis habet ſuam materiam & formam. Materia eius eſt duplex: remota, nempe termini, & proxima, nempè propoſitiones. Forma ſimiliter eſt duplex: primâ correſpondet materiæ remotæ, & vocatur Figura: ſecunda materiæ proximæ, & vocatur Modus. Quia autem recta combinatio medij cum extremitatibus tantum triplex eſſe poteſt, ideò triplex eſt figura Syllogiſtica. Quartam autem Galeni in Schola natam Peripatetica doctrina non agnoſcit.

Sequitur II. Quod cum ratio Syllogiſmi in hoc conſiſtat, vt ex vnione extremitatum facta in præmiſſis, earum vnitas inter ſe concludatur, neceſſariò medium debet diſtribui in aliqua præmiſſarum, nec in concluſione diſtribuendus eſt aliquis terminus qui non fuerit diſtributus in præmiſſis: alias non perfectè coniungerentur extrema vel inter ſe vel cum medio: ex quo inferuntur tres ſequentes regulæ, pro tribus Syllogiſticis figuris ſeruientes.

Prima Regula. In prima figura maior non poteſt eſſe particularis. Quia illam deberet ſequi minor vniuerſalis, (ex particularibus enim nihil ſequitur in quacunq; figura) erit ergo vel vniuerſalis affirmatiua, & ſic maneret in vtraq; præmiſſa medius terminus indiſtribus: Cum enim ſubijciatur in maiori nulla illum particularis poterit diſtribuere, quia particularis negatiua, tantùm remotos diſtribuit, affirmatiua verò nullos: in minori etiam non diſtribueretur, quia vniuerſalis affirmatiua tantum proximos terminos diſtribuit. Vel eſſet vniuerſalis negatiua illa minor. Ergo iam concluſio illam deberet ſequi negatiua. Quæ ſiue fuerit particularis, ſiue vniuerſalis diſtribueret ratione negationis maiorem extremitatem; quæ non erat diſtributa in præmiſſis: nam vbi eſt minor negatiua, maior debuit eſſe affirmatiua: Ex puris enim negatiuis nihil ſequitur in quacunq; figura. Et ob eandem rationem nunquam poteſt eſſe minor negatiua in hac prima figura, quia inferret concluſionem negatiuam, quæ maioris affirmatiuæ extremitatem diſtribueret ratione negationis. In modis tamen indirectè concludentibus hæc regula non currit, vt patet in Fapeſmo & Friſeſomorum, quià ibi minor extremitas prædicabitur, & ſic licet diſtribueretur ratione negationis, etiam maneret diſtributa à minori vel negatiua, vel vniuerſali, ſi maior eſſet particularis.

Secunda Regula. Cum secunda figura bis prædicet medium, nunquam potest habere vtramq; præmissam affirmatiuam, quia in nulla distribueretur medium, cum affirmatiuæ remotos terminos distribuant. Similiter non potest habere maiorem particularem, si enim esset particularis affirmatiua, minor deberet esse vniuersalis negatiua. Quia ex affirmatiuis in secunda figura, & ex particularibus in quacunq; figura, nihil sequitur. Ergo & conclusio esset negatiua, ac proinde distribueretur maior extremitas ratione negationis, quæ non erat distributa in præmissis. Si autem esset particularis negatiua, etiam inferret conclusionem particularem negatiuam, quæ similiter distribueret maiorem extremitatem, in præmissis determinatam, ratione signi particularis, minor tamen potest esse particularis, sicut de facto est in Baroco & Festino: quia minor extremitas etiamsi non distribuatur in præmissis, non distribuetur etiam in conclusione, sed determinabitur ratione signi particularis, quod proximos terminos nempè subiectum, cuius locum in Syllogismis directè concludentibus minor extremitas semper tenet, determinat. Et ob eandem rationem in Syllogismis indirectè concludentibus; hæc regula non currit.

Tertia Regula. Quia tertia figura bis subijcit medium & prædicat extrema, si haberet conclusionem vniuersalem, non distribueretur terminus in præmissis, qui distribueretur in conclusione. Quia si esset vniuersalis affirmatiua, distribueret subiectum. Cum autem in omni Syllogismo, vbi est conclusio vniuersalis affirmatiua, etiam præmissæ deberent esse affirmatiuæ: & affirmatiuæ aut confundunt prædicatum, si sunt vniuersales, aut intactum relinquunt, si sunt particulares: illud subiectum quod distribuitur ratione signi vniuersalis in conclusione, non distribueretur in præmissis. Similiter cum ex negatiuis nihil sequatur, si esset vniuersalis negatiua, distribueret vtrumq; terminum, ac per consequens illum, qui ratione affirmationis in aliqua præmissarum non distribueretur; Similiter minorem non potest habere negatiuam. Quia si minor esset negatiua maior deberet esse affirmatiua, ac per consequẽs prædicatum non distribueretur in conclusione ratione negationis. Quæ etiam regula tantùm est pro modis directè concludentibus.

Placuit hic, nouam, breuem, cunctisq; peruiam inserere, artem inueniendi medium terminum: quæ doctrina antiquis ita difficilis visa est, vt non immeritò à Sophistis Pons asininus vocaretur. Vt tamen faciliùs capiatur, scito; Quod terminus consequens sit ille qui ex alio infertur, v. g. animal respectu hominis: valet enim, Est homo, Ergo est animal; & sic omne superius, erit terminus consequens respectu inferioris, qui à

infertur

infertur ex illo. Terminus verò antecedens est ille, qui infer talium: v. g. homo respectu animalis & generaliter omne inferius respectu superioris. Termini verò conuertibiles sunt simul antecedentes & consequentes.

Sit ergo generalis Regula. Quandocunq; maior est affirmatiua siue vniuersalis, siue particularis, & medium in maiori prædicatur, quod in sola secunda figura contingit, tunc pro medio debet assumi terminus, qui sit consequens respectu prædicati, seu maioris extremitatis. Quando verò medium subijcitur, quod in prima & tertia figura contingit, debet esse antecedens respectu prædicati, seu maioris extremitatis. Similiter quando minor est affirmatiua seu vniuersalis, seu particularis, & medium in illa prædicatur; quod solùm in prima & secunda figura contingit, tunc pro medio debet assumi terminus, qui sit consequens respectu subiecti, seu minoris extremitatis. Quando verò medius terminus subijcitur, quod solum in tertia figura contingit, tùm temporis debet pro medio sumi terminus, qui sit antecedens ad subiectum seu minorem extremitatem. Tandem in propositionibus negatiuis, siue sint vniuersales, siue particulares, siue prædicent, siue subijciāt medium Terminum si maior Syllogismi sit negatiua, debet pro medio sumi terminus repugnans prædicato, si minor, repugnans subiecto. Nota tamen hanc regulam seruire pro Syllogismis concludentibus directè. Concludentes enim in directè speciali doctrinâ non egent, cùm per solā conuersionem prædicati in subiectum, ex indirectis directi fieri possint.

Cùm Syllogismus diuidatur ratione materiæ, in Demonstratiuum, Topicum, & Sophisticum. Omissis duobus vtpotè nihil specialis difficultatis habentibus. Definimus cum Aristotele Demonstrationem quod sit Syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisq; conclusionis.

Hinc infertur I. Diuisionem Demonstrationis in QVIA & PROPTER QVID, etsi adæquatam, non tamen esse vniuocam, cum Demonstratio QVIA, deficienter participet rationem Demonstrationis in definitione expressam, vtpotè quæ non procedit ex primis & immediatis, & quandoq; nec ex causis conclusionis. Nota tamen malè aliquos modernos confundere, Diuisionem Demonstrationis in QVIA & PROPTER QVID, cum ea quâ diuiditur in Demonstrationem à Priori & à posteriori. Nam licet omnis Demonstratio à Posteriori sit QVIA, non tamen è contra: similiter licet omnis Demonstratio PROPTER QVID sit à Priori, non tamen è contra.

Infertur II. Solam Demonstrationem propter Quid, generare pro-

 priè

priè scientiam. Quia sola adducit causam adæquatam, cur passio conueniat subiecto. Scientia autem est cognitio rei per causam. Et quamuis subalternatio scientiarum tunc sit propriè, quando obiectum vnius continetur accidentaliter sub obiecto alterius; addendo illi differentiam accidentalem (Quia tunc dependebit à subalternante subalternata in suis principijs:) Tamen scientia, subalternata poterit esse vera scientia, etiam in eo qui non habet subalternantem: quamuis nonnihil à perfectione scientiæ degenerabit.

Infertur III. Opinionem & scientiam, simul & semel in eodem intellectu, de eodem obiecto, esse non posse: cum scientia ratione Demonstrationis se generantis, sicut euidentiam ita certitudinem seu firmam obiecto adhæsionem afferat, quam Opinio per formidinem oppositi pellit. Quod idem de fide & Visione Beatifica asserimus. Ad quam nos perducat largitor gratiæ & gloriæ, IESVS CHRISTVS. Cui sit Laus, & gloria, in sæcula sæculorum.